

W d
879

II. 66 a. F.

(1, 892)

CONSECRATIO
ERNESTI
PII
SAXONIAE DVCIS
A
CELSISSIMO PRINCIPE AC DOMINO
DOMINO
FRIDERICO II.
GOTHANO SAXONVM DVCE

A. O. R. clc lccc xxix Die xxvi Martii
PIA CAEREMONIA ET HONORARiae
STATVAE EXSTRVCTIONE
CELEBRITATEQUE SERMONIS PANEGYRICI
GOTHAE IN D. MARGARETHAE
TEMPLO PERACTA

INTERPRETE
ERNESTO SALOMONE
CYPRIANO
THEOL. D. CONSILIARIO CONSIST.
ET ECCLESIASTICO.

GOTHAE
EXCVBIT IO. ANDR. REYHERVS, AVLIC. TYPogr.

CONSECRATIO

ЕЯНЕСТИ

SAXONIAE DACIS.

CHRISTISSIMO PRINCIPE AC DOMINO

ОИМОД



GOTHANO SAXONIA DACE

6 Ponit *pk* 100
THE INSTITUTE OF AGRICULTURE

АТТЕНДАНСИИ

ОЧИЩЕНИЕ

HAKTOO

EXQUISITELY PREPARED BY ANNIE RYANES, AND TYPED

— * + * —

CELSISSIME

PRINCEPS AC DOMINE
DOMINE

FRIIDERICE DVX SAXONIAE

IVLIAE CLIVIAE MONTIVM ANGRIAЕ

ET WESTPHALIAЕ

COMES PROVINCIAE THVRINGICAE

MARCHIO MISNIAЕ

PRINCIPIS DIGNITATE COMES HENNEBERGIAЕ

COMES MARCAE ET RAVENSBERGI

DYNASTA RAVENSTEINI

TONNAЕ

ET GRANICHFELDI

RELLITERARIAE TVTOR

ANTIQUITATVM RENOVATOR

PATRIAЕ PATER

CLEMENTISSIME.

SERE-

* * * * *

SERENISSIME
PRINCEPS HAERES

SPES AC DELICIVM POPVLI
PRINCEPS AC DOMINE
GRATIOSISSIME

ILLVSTRISSIMA VNGRAIE
PRINCIPES
PRINCIPES AC DOMINI

BENIGNISSIMA HENNEBERGIAE
COMVS MARCVS ET RAVENSBERGII
PROCERES

REIPVBLICAE ET AVLAE

NATALIVM MVNERVMQVE GLORIA ILLVSTRES
VIRI
RERVVM SACRARVM COGNITIONE PRAESTANTES
IVRIS AC SALVTARIS ARTIS PERITIA EXCELLENTES
CONSVLARI AC SENATORIA DIGNITATE INCLVTI
HUMANIORVM LITERARVM CVLTURA
SPECTABILES

A. O. O. H.

ETSI



Mengel Sc. Lips.

* * *

ETSI ambitionem contemnere tam
decet viros principes, quam sine aliorum
iniuria suas vtilitates veramque gloriam
consectari, quae magnorum in rempublicam merito-
rum laus est cum optimi cuiusque, tum multitudinis
iudicio comprobata; tamen absque lucri cupiditate,
aut cernendae haereditatis desiderio, plaususue popu-
laris expectatione recte ab illis facta apparent splen-
didiora, summoque studio ab omnibus dilaudantur.
Humare mortuos sortis humanae commercium postu-
lat, estque eiusmodi, ut id muneris colentes nullam

A

inde

CONSECRATIO.

inde commendationem sperare, negligentes maximam timere debeant reprehensionem. Quamobrem qui sepeliendorum mortuorum curam abiiciunt, non in hominem, sed in genus humanum peccare existimantur, et ab eo discedere officio, cuius vestigia Deum in mutis quibusdam animantibus posuisse cognoscimus, quandoquidem formicae a formicis sepeliuntur, et delphines suorum corpora, ne a beluis lacerentur, abscondunt, apicularum more, de quibus haec narrat poëtarum Plato, Virgilius:

— *Tum corpora luce carentum
Exportant tectis, et tristia funera ducunt.*

Humare mortuos decore, et cum quadam exequiarum pompa, laudem quidem habet, sed visitatam, ac vel mediocriter fortunatis imitabilem. Confecrare mortuos publico luctu, ac pro breui vita diuturnam illis ac velut diuinam reddere celebritatem, eaque extirpatione corpora contegere, quae sit ad memoriam aeternitatis ara virtutis; principum opus est, apud Romanos Caesarum ac senatus imperio solis tributum Augustis, aut certe ex eorum familia generatis. Sed replicanti mihi veterum rituales libros, recitatosque in Caesarum funeribus sermones panegyricos, qui

58n*i*

extant,

extant, ad vnum omnes, nulla se obtulit consecratio,
quae gratiae vulgi aucupio, aut firmandi regni audi-
tate parum foedaretur, nec sumtibus publicis lucrum
priuatum quaereret.

TV autem, FRIDERICORVM Gothanorum secun-
de, tu PATRIAE PATER inter Principes Princeps,
de quo nunquam ita magnifice quidquam proloquar,
id virtus quin superet tua; tu dum finita mortalitate
in ore et gentium animis viuentem auum tuum, ER-
NESTVM PIVM, hodierno die consecras, eique semp-
ternum monimentum tuis pene manibus exstruis, ne-
minem non in hanc subito adducis sententiam, quod
ERNESTVS ex hac vita demigrasset prius, quam tu
nascerere, suarumque regimen prouinciarum non ma-
ximo natu inter filios, et ex eo nascituris, sed quoquo
tempore reliquos gentis Gothanae Principes aetate
antecessuro testamentaria cautione assignasset; id
circo piam hanc caeremoniam nec ex funeris recentis
dolore, nec ex emolumenti alicuius vel spe, vel sensu
profectam, praemiorumque mercedibus euocatam,
sed generoso quodam ac minime vulgari virtutis im-
petu abs te susceptam esse atque nobilitatam.
Quae est igitur, FRIDERICE Pater, quae est illa caufa

tam



tam magna , tam praeftabilis et admiranda , cur
ERNESTVM PIVM anno quinquagesimo quinto ab eius
morte consecrare ? Pietas , credo , in ERNESTVM
PIVM . *Viuat post funera virtus !* Cur memoriam ERNESTI
PII tam pie sancteque instaurando auitae gloriae vel-
ut natalem ageres ? Pietas in ERNESTVM PIVM .
Viuat post funera virtus ! Cur hunc conuentum indiceres
tuorum procerum , tuorum consiliariorum , tuae au-
lae , tui senatus , tuorum ciuium : in quibus cum pauci
sint superfites , qui suis oculis (proh ! quanta felicitas ,
quam rara , quam optabilis , quam plena recordationis
morum proborum !) qui suis , inquam , oculis adspexis-
sent ERNESTVM , ac cum eo sermones contulissent . ;
nihil cunctandum esse prudenter iudicasti , ne post
paucos annos oculorum tuorum lumina toto homini-
num coetu desiderare cogerentur oculos , qui oculo-
rum ERNESTI contemplatione dulcissima sese exfa-
tiascent . Quae est igitur , Patriae Pater , FRIDERICE ,
quae est tam insolitae conuocationis causa , quis finis ,
quodnam nihil vnuquam imprudenter facientis institu-
tum ? Pietas in ERNESTVM PIVM . *Viuat post funera*
virtus ! Ne quis alijs in huius se societatem gloriae in-
ferret , tu solus , nec cogitantibus , nec postulantibus ,

nec



nec optantibus quidem nobis, incredibili erga auum
pietate incensus ERNESTVM ipso emortuali die confe-
crandum statuisti, cum quinquaginta quatuor annos
in coelo fuisset, corpus autem toto illo tempore a-
mortalis vitae calamitatibus requieuisset sub hoc lapi-
de, quem confitendum est totius pietatis habitacu-
lum, ac vniuersae Germaniae primarium principem
contegere, cuius sub imperio sacra profanaque omnia
sic floruisse, ut ne antiquitas quidem habeat quen-
quam, quem in villa virtutis laude ERNESTO ante-
ponat.

QVANQVAM autem non conuenit publicis ratio-
nibus, estque a reuerentia autoritateque tui nominis
remotissimum, aperire consilii, vnde haec omnia nata
sunt, argumenta; tametsi porro in hac seculi nostri
labe adeo non est verendum, ne plebs nostra noua-
numina adoratum eat, vt plerique Deum optimum
maximum negligenter colendo fatis ostendant, nihil
omnino pietatis superesse sibi, quod nouitiis Diis hono-
randis prodigant; quanquam denique inter bonos be-
ne agier oportet, ac suspicionum fomite prorsus vacare
nocendi artibus aduersum se tentatis ad omnem pa-
tientiam induratum oratorem; tamen ne quis vel

B

linguae

linguae latinae inscientia, vel quaecunque ipse non fecisset maledico dente carpendi assuetudine, nos in sacrarium Christianum Romanae ritum consecrationis, cultumque simulacri intulisse conqueratur; pace tua, FRIDERICE, Patriae Pater, frequentissimae huic concioni, cuius seri nepotes in vitae tuae historia bene gestae ac praeclarissime ornatae reipublicae absolutum simulacrum habituri sunt, instituti naturam omnem commemorabo, et quo spectet consilium tuum, cuius causam optimo cuique eximie probatum iri confido, quam breuissime potero, interpretabor.

VT impii principes, quos senatus aut populus hostes reipublicae iudicasset, Diis inferis olim deuoti sunt varii generis diris atque execrationibus; ita Caesares, eos maxime, qui bene imperassent, ac viros alios, quorum magno animo fortiter excellenterque gesta celebrarentur, siue publice, siue priuatim, consecrарunt veteres, id est, cum agere inter homines defissent, in numerum Deorum retulerunt, aris, templis, statuis, columnis, puluinaribus, sacrificiis, ludorumque celebritate honestarunt, mortuorum cultum, si impetrare non possent, obiectis passim superstitionum

tionum incitamentis expressuri ab imperita multitudine.

CVIVS honoris tanta saepe cupidio incesserat Augustorum mentes, vt Dei appellationem non solum viuis sibi in numis tribui paterentur, ac Domitianus procuratorum suorum nomine epistolam dictans ita ordiretur: *Dominus et Deus noster sic fieri iubet; sed etiam Valentianus, Theodosius et Arcadius, in christianis nomen profesi imperatores, lege secunda codice de fabricensibus, suam aeternitatem adorare praeciperent, eaque vanitate consecrationis appetitionem tanto magis profiterentur, quod ex numo Iuliae Augustae exploratisimum est, aeternitatem ipsam denotasse consecrationem.* At praeterea consecrandi vox etiam minus significat, quam dicit, quoties tantum sonat, atque clarorum hominum nominibus parere non contemnendam mortalibus immortalitatem, aut efficere, vt longum perdurent in aeuum, et a posteris exquisitissimo honore afficiantur. Cicero sane, cum omni genere monumentorum, ab omnium et Graecorum et Latinorum ingenii scriptorum, se ait filiam consecraturum; cum *Quinctum fratrem memoriam nominis sui amplissimis consecrare voluisse*

moni-

monimentis, cum virtutes eius consecratas, cum Socratis ingenii magnitudinem Platonis memoria et literis consecratam esse perhibet, non est profecto tam fatuus aut a ratione alienus, ut doctorum virorum stilo Deos fabricari posse arbitretur; sed laudationibus huiusmodi et monimentis benefacta mortuorum auctores apud posteros in clarissima luce positum iri confidit. Nec alio spectat, quae est in PRINCIPE nostro aui colendi ornandique voluntas, aut haec magnorum atque clarorum hominum panegyris, virtutum admiratione, suique obseruatione officii, nulli mortalium conuentui concessura. Non aram auo ponit PRINCEPS noster, non diuinitatis opinionem aut religiones illi decernit, non ad puluinaria supplicationes constituit; sed tribus rebus, primum quidem memoriali numo, deinde epitaphio, quod nos bonos auctores imitati honorariam statuam appellamus, postremo oratione publica ERNESTI probitatem, constantiam, fidem, et in republica tuenda cum curam, tum prudentiam ad omnem posteritatis memoriam commendat. Numus et epitaphium, quoniam cultiorum gentium ac veterum christianorum exemplis, quae sunt innumerabilia, defenduntur, facile vituperationem effugient.

At
in omni

At orationem panegyricam , magno temporum interuallo ab ERNESTI in coelum peregrinatione disiunctam , non vno conuitio verberabunt , qui anniversarias , publiceque imperatas regum ac principum praedicationes obliuiscentur , qui Hieronymo ob Blesillae , Fabiolae , Lucini , Marcellae , Nepotiani et Paulae epitaphia linguam exscindent , aut Gregorio Nazianzeno , cuius in laudem Athanasii , in laudem Basili , in laudem patris , fratriis , sororis et Maccaeborum habitae conciones in promtu sunt , caput esse amputandum arbitrabuntur . Vos autem , A. O. O. H. vos egregiorum operum amore capti , vos abiectissimorum hominum iudicia perosi , vos , cum propter alias causas , tum maxime propter restitutam huic prouinciae tranquillitatem bonique moris disciplinam , belli Germanici sceleribus in annum trigesimum non attritam , sed penitus profligatam , ERNESTI PII recordatione , mentioneque publica tam sancti nominis , singulari voluptate affecti , quibus studiis prosequemini , quibus laudibus efferetis , qua veneratione complectemini sapientissimi principis vestri , ac post hominum memoriam nepotis gratissimi erga auum pietatem ? Profecto cum non possitis non probare .

Polemonis epitaphios sermones, quibus duo patres filios suos in pugna Marathonia occisos certatim praedicarunt Athenis; si minus nostram hanc de virtutibus ERNESTI narrationem, at hanc vitae gloriose beataeque mortis testem, hanc statuam magnopere probabitis, probatam laudabitis, laudatam coletis, cultam admirabimini. Admirabimini hanc statuam, et in vno simulacro monumenta duo, alterum pii aui, alterum grati nepotis, vno obtutu reuerebimini.

VIM omnem atque pondus consecrationis nostrae vobis explicui, AVDITORES: haec igitur mihi reliqua orationis pars est, hoc nunc elaborandum, vt susceptae caeremoniae initique consilii causa vobis approbetur, quae fuit duplex, virtutum primo et meritorum ERNESTI admirabilitas, non quotannis, sed quotidie digna celebrari; deinde PRINCIPIS nostri prouisio prouidentiaque paterna, qua progeniei suae vitae totius rectorem praeponit ERNESTVM, domus Gothanae conditorem, apud omnes suae salutis haud prodigos omni tempore summa valiturum auctoritate.

QVAE Demosthenes mortalium praestantissimis contingere existimat, bene nasci, liberaliter institui,

et

et tota vita gloriae studere, ^{a)} ea omnia in ERNESTO mirifice eluxerunt. Non pauca, non multa, sed pleraque omnia praeteribo, ne aut miseri oratoris infantia decorum eius multitudini detrahatur, aut initium noctis finem imponat meae perorationi. Attamen ne de eo, quod caput rei est, tacuisse videar, paucula quedam carptim breuiterque perstringemus.

VITAM ^{b)} eius priuatam, parsimonia et incredibilis pietas erga Deum decorarunt. Illam calamitas temporum, fratribus multitudo, Hortlederi praeceptoris seueritas, ac rei domesticae sub tute sumtuoso minime gliscens conditio docuit, probat autem usque ad hunc diem, praeter congestae pecuniae, et in septem filios dispersae, copiam ingentem, ex reliquiis

Caef-

a) *Initio epitaphii sermonis*: γεγενηθαι καλός, πιπαιδένθαι σωφρόνιος, καὶ βελώνειας φιλέμως.

b) *Ortum eius a S. Elisabetha deriuans Bartoldus Nibyssus post alia multa ait p. 132.*

Hypodigmatis: Ecce! sic ad Wilhelmi & Ernesti Vinariensem genus pertinet S. Elisabetha: indeque etiam illustrissimus hic Ernestus monstrare mihi solebat annulum, rudi opere aureum, quem ipsa, dum viueret in matrimonio, gestauerat, smaragdo quadrangulo, exstante plusculum e pala, conspicuum; quo diligenter asseruato prosapia eam Ducum Saxoniae, Landgraviorumque Thuringiae fore saluam, deperdito autem infelicem, ex agrpha maiorum sententia seu traditione afferebat idem princeps.

Caesarum c iussu bis diruti Grimmensteini, in turbulenta-
lentissimis belli Germanici tempestatibus coepit,
ac perfecta Fridenstein exstructio dignitatis commo-
ditatisque plenissima; haec a coelesti quadam ac di-
uina impulsione orta totum, qua patet, orbem
christianum Ernestinae virtutis theatrum fecit. Etsi
enim ea in ERNESTO commendatio oris eminuit, quae
haud obscure indicaret mentis excelsae maiestatem,
eaque ingenii acrimonia omnibus virtutibus sociata,
qua comis sine fuso, disertus sine arte, modestus sine
affectatione, sciendique sine ostentatione cupidus
perfacile omnium sibi benevolentiam colligeret; ta-
men *pietas tutissima virtus* ei ad res magnas gerendas sum-
mo semper praesidio fuit, christianorum in oriente
et occidente, etiam diuersa a nostris sacra colentium,
miris laudibus celebrata.^d

HANC

c) Thuanus lib. IV. an. 1547. lib. XLI. an. 1567.

d) COP TARVM in Aegypto patriarcha Alexandrinus, Matthaeus, literis, anno
cls Ic LXV. huc missis, vocat Ernestum venerabilem Sultanum, regium,
laudabilem, praestantissimum, gloriam baptizatorum. De hoc patriarcha
lege Renaudotum historia patriarcharum Iacobitarum Alexandr. p. 612.

COMOS in Alexandrino S. Marci templo, Ioannes, epistola eodem anno scripta,
appellat orthodoxum Sultanum, amatorem Domini nostri IEsu Christi,
germen et florem ex bona radice.

EX

HANC autem virtutum principem, veraeque felicitatis firmamentum vnicum, puer, iuuenis, vir, imo senex viribus defectus ac moriens mirandum in.

D

modum

EX ROMANAEC ECCLESIAE affectis occidentalibus unus erit instar omnium,

Ernestus, Hassiae Landgrafius, qui catholici discreti lib. III. c. II. Sect. I.

sc̄ scribit: Es hat es der in vielem sehr rühmliche, ob schon Lutherische Fürst, Herr Herzog Ernst von Sachsen-Gothe, mit der Unterweisung und examination des gemeinen Bürgers- und Bauersmanns gar weit gebracht, ob er schon manchmal ziemlichen Undank darmit verdienet hat. Idem Landgrafius libello anno 1673. publicato, cui titulum praescripsit:

Extract des veri sinceri et discreti catholici, ita loquitur p. 27: Exempli gratia: man gehe nach Gothe, und andern vielen protestirenden Dertthern mehr hin, und sehe zu, wie der Sonntag und hohe Feyerstage daselbst ganz anderst, als bey denen Catholischen insgemein nicht geschiehet, gefeyret werden, da nemlich die Stadt-Thore den ganzen Tag zugehalten, und jederman in der Kirchen gesehen, und das Spielen, und die Gelächer in den Wirths-Häusern; vielweniger aber Comoedien, Mascaraden, Balleren und dergleichen Fladerwerk nicht gelitten werden. P. 162. Ein Italiäner oder Spanier wird lieber seiner zum höchsten halbstündigen Mess, als nicht einem solchem cultui, da man zwey ganzer Stunden mit beten, Lesen, Singen in lingua vulgari und Predigen zubringet, bezyuohnen Lust haben. Ich halte dasfür, daß die Spanier und Italiäner zur Gothischen Religions-Weise und Kirchen-disciplin keine grosse Lust haben würden. P. 22. dixerat: Also sieht man auch, daß aus diesem allen unsäugbarer massen dieser Nutzen hernach davon entstehet, daß, insgemein davon zu reden, exempli gratia zu Gotha in Thüringen, die Leute ungleich anderst in ihrem Christenthum sich informirt finden, und sich in Widerwärtigkeit, und auf dem Tod-Bette

zu

modum excitabat inexhausta sacras literas legendi
auiditate, et Dei in se amoris consideratione assidua.
Mi Deus! (sic cogitabat, sic loquebatur castiga-
tissimum

zu trösten, und sein selbsten zu beten wissen, als notorie ja nicht das Spanische, Italiänische, oder auch das von den Orientalischen Kirchen Griechische Christen-Völcklein zu thun weiß. Dieses mag nun zwar wol etwa von einem ganz Ignoranten und Stupido, oder aber von unordentlicher Passion ganz und zumahl verblandeten, und von selbiger überwältigten in Zweifel gezogen, nicht aber von einem mit den Protestirenden recht umgegangenen, und um ihr Thun und Lassen wahrhaftig wissenden, geläugnet werden.

E SCHOLA REFORMATORVM sufficient multiplicia Duraci de Ernesti pietate testimonia, quae eius manu scripta afferuamus. Inter alia inquit die III. nov. an. 1670: Cum in hoc itinere nihil aliud mihi sit propositum, quam respectum deferre serenissimi principis pietati, quae pra multis aliis fuarum partium eminet et conspicua est.

E SOCINIANIS Stanislaus Lubienicus suum theatrum cometum Ernesto offerens sic scribit:
Huic tanto Principi ad laudem et exempli decus ac seculi ornamentum nato, quem vt viuum exemplar agnoscent virtutes Princeps dignae, Iustitia solis instar cuncta Imperantium et parentium irradians, clementia ritu lunae ab ea lumen mortalibus salutare mutuans, fortitudo cognatas impenetrabili scuto tegens, mansuetudo earundem actiones moderans et commendans, temperantia pro omnium salute dies noctes que excubans, grauitas fororum gressus certos formans, constantia earundem sedes firmans, liberalitas opes bono generis humani ad mandatum et exemplum diuinum dispensans, magnanimitas praeclaris facinoribus socias exornans, comitas dulcis philomelae more cunctas perpetuo exhilarans, prudentia tanquam Helice et Cynofira cunctis cer-

tam

tissimum hoc probitatis exemplar) mi benignissime Deus! qua ego re, ego seruulus tuus et mancipium, peccator praeterea magnus ac frequens, qua ego re dignus sum factus, quem esse velles hominem, hominem christianum, christianum principem, principem Saxonem, Saxonem tot fratum funeribus superstitem, tot belli periculis liberatum, tot haereditatibus auctum, tot sancti tui spiritus donis monitisque ad bene viuendi institutum rectionemque populi christiani instructum? *Totum munera hoc tui est.* Nisi me Christus apud te in gratia posuisset, non solum peccata mea, sed etiam, mortaliū iudicio, bene decentissimeque facta tibi motura erant fastidium. Haec secum meditantem, AVDITORES, mirum non est, continua precandi, Deoque

pro

tam viam praemonstrans, pietas omnes latissimis pomeroii continens, et chorum coelestem claudens, ac Deo, orbi, posterorum memoriae et imitationi commendans, dulcis Musarum chorus Munificentissimum Patronum veneratur, nec non felix soboles apprime refert, exemplar operis huius etc.

E *VACKERORVM* societate, nostra aetate, tota Bataua praeceps
D. Koblhansius, vltoribus extortisque animaduersionibus in historiam ecclesiasticam Loebri, editis Germanice an. 1703. Amstelodami, p. 18. scribit
 Der Christlich-eifrige und fromme Fürst, Herzog Ernst zu Sachsen-Gothe. Der höchst-löblichste und sehr verständige Fürst.

pro depulsis malis ac collatis beneficiis gratias agendi
confuetudine animum sic obfirmasse suum, ut in diuinae
maiestatis admiratione fauoreque suauiter acqui-
escens facile toleraret nulli nomini non praeferen-
dam ERNESTI PRECANTIS appellationem, qua eum
in pueritia a fratribus designatum, in imperio autem
ab hominibus profanis lapidatum esse accepimus.
Sint principum barbarorum voluptates vinolentae,
sint meretriciae, sint sanguinolentae, sint illiberalibus
iocis refertae; sint improbae cupiditates regum
reginae, rosaeque breues, *quae pereunt bodie, nisi mane le-*
gantur; ERNESTO, a prima pueritia Dei veneratione
imbuto, non libitum est nisi in sacrarum literarum
ac piarum precum constantissima amoenitate ani-
mum remittere, acres mentis occupatae curas perpe-
tuo innocentiae tenore ac coniugis castissimae allo-
quio condire, rem Dei publicam curando, et ad
vltimum improbitatis excidium nitendo, honeste ac
laudabiliter otiani.

QVA viuendi ratione factum est, ut salutare ac
admirabiliter insolens pietatis lumen in totam aulam
diffusum, velut e sublimi specula, externorum
homini-

hominum animos in principem conuerteret, persuaderetque ciuibus multo maxima ex parte ad omniem humanitatem institutis, ne aliunde, quam ab amore Dei, omnium virtutum auctoris, beatae vitae praefidia sibi desumenda esse existimarent. Non enim naturali quadam perspicientia, sed diuino beneficio, Christique cultu principem suum obtinuisse nouerant, vt, cum Vespasianus iunior in vitae fine dixisset, *nullum extare suum factum poenitendum, excepto duntaxat uno*, ERNESTVS hoc additamento non indigeret, nec proiici in eum posset illud tritum: *Semel insaniuimus omnes.* Neque tamen hoc vno praestitit suae aetatis mortalibus, quod Deum diligentissime colebat, quod opem ferebat supplicibus,

E

dabat

e) *Vel unum Boeclerum audiamus scribentem p. m. 76. musei:* Vidi aulam Principis, sanctissimis moribus, et probatissimis agendi imperii rationibus ita institutam, vt Xenophontis Cyrum non ad fidem scilicet historiae, sed ad imaginem boni Principis scriptum, aut Plinii Traianum, oratorio potius quam historico opere adornatum, memorari et extolli censerem, si alieno ista notitia testimonio niteretur. --- Solicite accuratus est in cognoscendis et definiendis causis Princeps: neque fatis habet, audisse aliquam legem, aut nomina ac sententias eorum, qui in simili causa pronuntiarunt, percepisse: quid iudicandum omnino ex rationis bene informatae praescripto sit, declaratum ostensumque dari postulat. -- Non mirum ergo, si exemplum etiam absentis Principis in partem rationis venit diuersa apud tribunalia. --- Non potuit obscurum esse, designari hac oratione Principum decus, Ernestum Saxonicum.

dabat salutem miseris, consolabatur afflictos ac periculis liberabat; quae omnia impetrata sunt praeclarissima illa ciuitatum gubernatrice, innocentia principis; sed ad meliora nitens id elaborauit maxime, ut ciues suos omnes, decurso huius vitae spatio, et quoscumque alios, ad beatam immortalitatem diuinumque animorum concilium eueherentur. Quod quo magis intelligi posset, ordinar paulo altius, ac omnem instituti ordinem reique tractatae modum explanabo.

SOSPITATORIS nostri praeceptionum, quomodo a Christianis euangelicis traduntur, tenacissimus erat, non magis propter vtilitatem, quam doctrina de ciuum in rebus ciilibus libertate, nulla diuinae destinationis necessitate impedita aut sublata, deque summorum imperantium potestate, nulli seu sacerdoti, seu populo obnoxia, tranquillitati publicae afferuntur; quam ex cognita earum praestabilitate coelesti, quandoquidem de Deo, decretisque et actionibus eius, ideam summo bono dignam purissimamque efformant, omnibus mentis humanae morbis, ac ipsi mortis acerbitati, medentur, in vitae immortalis adeptione nihil hominum viribus, caeremoniis, inuentis, sed omnia diuinae miserationi, ac Christi recuperatoris

pre dicto loco. Principium quae, Primum in proportionem

faci-

sacrificio pro singulis in Deum peccantibus oblato,
tribuunt, pietatisque studium sic commendant,
iniungunt, exigunt, vrgent et a mortalibus flagitant,
vt primam euangelicae ecclesiae vocem lineamque
hanc fuisse inter omnes constet: *Dominus et magister noster
Iesus Christus dicendo: poenitentiam agite, omnem vitam fidelium
poenitentiam esse voluit.*^f

IGITVR vtrumque ERNESTO propositum fuit,
vt ne qua falsa doctrina ac deliramentis fanaticis reli-
gionis nostrae capita, e diuinis voluminibus collecta-
librisque symbolicis comprehensa, conspurcarentur;
et ybique pietatis exercitia sine ciuitatum clade, aut
politiarum euersione, efflorescerent. Quarum
rerum duarum splendorem maximum in posteriore,
necessitatem in vtraque sic esse arbitrabatur, vt pietas
ex falsa rerum diuinorum cognitione non magis con-
sequi possit, quam obsequium cultusque imperatoris
pro gregario milite habitu in exercitu. Quamobrem
cum nullus verae pietati locus sit, vbi humana ratio,
aut praeter sacras literas excogitata dogmata, super-
stitione et pertinacia traditam a Christo religionem
moderantur; quantum conniti animo, quantum

labore

f) Z. I. Jen. L. f. 2. b.

labore contendere potuit, tantum faciebat, scribebat, hortabatur, vt conseruata doctrinae euangelicae puritate vnius eiusdemque fidei regula ecclesias nostras omnes conglutinaret, vt vnum omnes sentirent, vt omnes vnum stuperent ac meditarentur. Ex quo coortum est, vt magnam pecuniae vim ad constitendum, quod Nicolaus Hunnius suaferat, theologorum collegium^g reponeret, aestimandique tam salutaris operis ergo, ac communi consilio perficiendi, filium Albertum ad septentrionis reges allegaret, rejecta interim, ac prorsus damnata nostratium et Caluini placita retinentium ecclesiarum permixtione, commendata autem, ac literis, consiliis, legationibus obtenta fere compositione litium Calixtinarum. Vt iam pudendum sit, principis nostri, in publica patriae calamitate, reique priuatae penuria, sanctiores fuisse ac splendidiores conatus, quam plerorumque regum

omni-

g) De hoc principis instituto fide aliorum, quae omnia in promtu sunt, nonnulla di-
ximus libro III. c. III. p. 170. compendii Gotbani historiae ecclesiasticae. Al-
bertus ad reges missus est post maturam deliberationem principe praefidente, et
consultationis argumentum proponente institutam an. 1670. die 15. Martii
sqq. consultoribus politicis Heydenreicho, Ludolfo, Prucknero; theologis autem,
Oleario Halensium in Saxonia antisite, Io. Musaco, Gottero, Ludwigo,
Verpoortennio, &c.

omnibus copiis circumfluentium. Non queo satis mirari,
ERNESTVM, quod potentissimi principes neglexerant,
etiam ante haereditatum accessiones, sacrorum euange-
licorum, quorum eadem antiquitas, quae ipsius terra-
rum orbis est, procurementem intra ecclesias plantatas
neutiquam continuisse; sed durissimo tempore,
ultra nostratum in Silesia, Polonia, Hungaria et
Moscouia coetus religiosos, quibus missis libris, pe-
cunia, consiliis etiam ac commendatione aditimento
praesidioque fuit, extra Europam nouas agitasse
ecclesias. Huc cogitationes suas, huc magnam
aerarii partem, huc studium contulit non nobis
solum, sed posteritati etiam admirationi futurum.
Ut a multis huius magnificentiae documentis nunc
recedam, non vos praeterit, **AUDITORES**, Euse-
bium Renaudotium^h et Ioannem Baptistam Sol-
lerium

F

lerium

h) *Praefatione historiae Patriarcharum Alexandrinorum Iacobitarum*, editae Par-
fisi anno 1713, inter alia sic ait Renaudotius, circa medium praefationis:
Fuit sane Ludolfus omnium, quos Europa nostra tulit, Aethiopice
doctissimus, cuique ea lingua plus quam nemini debet. *Paulo post:*
Erunt fortasse, quibus displicebit, quod, cum plerique, a quibus de Ec-
clesia Alexandrina aliquid ab annis plus minus triginta scriptum est,
Vanslebium vbique appellant, alii vt eum exscribant, multi vt refellant,
eorundemque siepe librorum vterque testimoniis vti soleamus, rarissima
duplicis eius operis mentio sit, primi quod Italica lingua; alterius quod
Gallica

leriumⁱ confessos nuper esse plus decies, in enucleanda Alexandrinae atque Aethiopicarum ecclesiarum historia Vanslebii Ludolfique laboribus id se auxilii consecutos esse, quod ex omnis aetatis scriptorum vix sperare potuissent monumentis. At vero ERNESTI PII auspiciis sumtuque et Vanslebius et Ludolfus in claram lucem emerserunt. Roma enim Gotham arcessito Gregorio Habessino ita in rerum Africanarum cognitionem exarsit eruditissimus quisque, ut iuxta cum Ludolfo Aethiopicae et Arabicæ linguae studerent plurimi optimarum artium professores, ERNESTVS autem in Abyssiniam mitterebat Vanslebium,^k eoque instituto quasi signum ali-

Gallica nostra edidit. Sane neque dissimulare per quos profecerim, animus fuit, neque Vanslebium, quo antequam in Aegyptum proficeretur, yfus sum familiariter, vel minima suae laudis parte fraudandum existimauit.

i) *Traſtatu de patriarchis Alexandrinis, tomo V. Antwerpensi de actis Sanctorum Iunii praemiss. Praefationis p. XII. ait:* Ludolfus iam saepe commemoratus et faepius nominandus.

k) *De Vanslebii itinere non pauca congesimus in Catalogum MSS. Bibliothecae Goth. p. 64. et cap. III. lib. II compendii hift. eccles. Gothani p. 12. 174. Conf. Tenzelii supplementa hift. Gothani. p. 928. Vitam Vanslebii scripsit nuper Iacobus Echard to. II. scriptorum ordinis praedicatorum p. 693. ubi ait:* Animi sui dotibus Ernesto Saxoniae Duci, Gothaee Principi, probatus ab eo in

Aegy-

aliquid tolleret ad bene sperandum de statu christianorum in Africa etiam remotiori perquirendo. Quod cum de ERNESTO dicimus, cuius omnis vita in laboribus gloriiosis consumta est, Gallorum et Italorum doctissimorum suffragiis ita dicimus, ut neque veras laus ei detracta hac oratione, neque falsa afficta esse videri possit. Sed tamen in peregrinorum christianorum curam incumbens non destitit summa diligentia prospicere suae ditionis ecclesiis. Nam et Seckendorffio autor fuit scribendae historiae sacrorum per Lutherum in occidente repurgatorum;¹ et de-

distur-

Aegyptum et Aethiopiam missus est, qui regiones illas et populorum ac cleri exploraret dogmata et ritus, confessionemque illorum aut dissensionem cum protestantium ac Romanae ecclesiae catholicae fide, moribus ac usibus ocularis testis annotaret.

- I) *Seckendorffius praelatio historiae Lutheranissimi*: Saepe mecum egerat laudatissimus Princeps, ut Reformationis, superiori seculo in Germania, aut saltem in Saxonia, peractae historiam literis mandarem. Oftendebat eum in finem centena et plura actorum volumina, quae ex Archivis et scriniis maiorum suorum, quaedam et aliunde collegerat. Exemplum mihi proponebat Friderici Hortlederi, Consiliarii quondam Vinariensis, quo familiariter usus fuerat, multisque illum adminiculis ad magnum illud de bello Schmalkaldico opus adiuuerat. Maioris utilitatis et gloriae materiam mihi offerri existimabat, si ex actis, tam Principum, quam communitatum, aut priuatorum, quorum non existimat

quam

disturbando improbitatis regno, imbuendisque doctrina christiana ac pietate ciuium animis, assidue cogitauit. Quod est enim templum, quae schola, qui tota regione locus, in quo non extent Ernestinae sanctitatis impressa vestigia? *Quo semel est imbuta recens seruabit odorem testa diu*, ac magni interest, quid quisque audiat quotidie domi, quibuscum loquatur a puerō, in gremio matris impiae, an in piis Christi sermonibus educetur. Igitur, praeter iuuentutis ad puerilem, sapientiam informandae methodum, ludi moderatorum causa publicatam, in scholas traducta est Sospi-
tioris nostri doctrina salutaris, et Catechismi omnium tam Graecorum, quam Latinorum ecclesiae patrum,

scriptis

quam multis locis copiam reperiri posse dicebat, eruerem, quo consilio et successu Religionis reformatio tractata fuerit, utque a leuibus initii in eum statum processerit, quem posteritas vix admirari satis potuit. Dei, aiebat, profecto digitus is fuit; ingratu sumus, qui hunc non agnoscimus, memoriarique rerum tam illustrium non accuratius conseruamus et propagamus. Haec quidem nec furdo nec pigro ingerebat; sed, pace beatissimorum manum tanti Principis dicere liceat, aut mihi tunc plus tribuebat, quam exequi in illa adolescentia mea potuisse, aut iusto leuiorem, pro vastitate ingenii sui, aestimabat laborem, quem consistere posse credebat cum perpetuis in aula occupationibus, quibus me in Consilia-
riorum numerum anno Christi 1651. aetatis meae vigesimo quinto adscitum onerabat.

scriptis praestabilior expositio,^m qua et recte de rebus
diuinis sentiendi modus, et bene viuendi efficacissima
instituta continentur. Hinc ventum est ad domos,

G

et

- m) *De Principis laboribus catecheticis haec nuper tradidit vir doctrina, iudicii acritonia et pietate praestantissimus, D. Albertus Meno Verpoortennius, Collegii Casimiriani Director, in catecheses Lutheranae memoria seculari:* Animadvertisit hoc pro sapientia sibi divinitus concessâ ERNESTVS SAXONUM decus, (vel solum enim ERNESTI SAXONIS ET PII nomen omnes omnium laudum apices complectitur) et quum per belli Germanici diuturnitatem non tantum terris vastitatem, sed et ciuibus inscientiam veri rectique moris passim inductam esse cerneret, quamprimum tempora tulerunt, toto pectore in eam curam et cogitationem incubuit, qui hanc caliginem depelleret, luce veritatis diuinae omnium mentibus, pro captu uniuscuiusque, circumfusa. Evidem si totum hoc *Principis* institutum explicare dicendo, et pro dignitate exornare vellamus, multa possimus afferre, et digna cognitu, et usi salutaria, neque tamen adhuc omnibus aequa perspecta et explorata. Verum ab isto cursu angustiora temporis chartaeque spatia nunc revocant. Sufficiat igitur, verbulo monuisse, optauisse quidem *Principem Serenissimum*, ut totum hoc negotium communibus Regum ac Principum Euangelicorum consiliis suffragiisque susciperetur atque conficeretur; ideoque cum aliis, agnatis maxime et amicis, sententias contulisse; sed quum alii alia agerent, recte existimauisse, non esse, quod studium suum maneret aliorum siue negligentiam siue occupationes. Tum vero nihil temere, nihil inconsulte aggressus est, sed priuatim ab initio prudentium consilia exquisiuit, mox explorato per viros idoneos statu singularium ecclesiarum, et re in Consistorio Ducali, cum euocatis Ephoris, Adiunctis, et Pastoribus deliberata, *Catechesin Lutheri* fundamentum institutionis publicae esse voluit: in qua vt

vna

et familiarum patribus in manus tradita domesticorum regendorum regula typis excusa, constitutis insuper publicae priuataeque disciplinae inspectoribus, ac promulgata, de correptione christianorum fraterna, institutione. Tum demum de adultorum ignorantia catechismi explicatione, et duplii intra vnam hebdo-

mada

vna et consentiens pertotam prouinciam ratio esset, neque tamen diversa hominum genera, ingenia, processus discendi, sibi inuicem totique huic instituto officerent; certis clasibus auditorum, penitus disciplinae, temporibusque descriptis, rem omnem complexus est; ut et rudium senumque pudori consulteretur, et ceteris proficiendi esset occasio. Hinc partibus suis varie distincti libelli *Catechetici*; ita tamen inter se aptis ac cohaerentibus, ut nec doctorum, nec auditorum progressus impeditur. Praeter varia *Edicia*, huc pertinent *Das Lese - Büchlein, die Catechismus - Übung, Bericht von hoher Notwendigkeit der Catechismus - Information.* De *methodo* docendi Catechesin speciatim agit praeceptum prudentissimum, volumini *Legum Gothanorum de rebus ecclesiasticis* non ita pridem insertum: *Instruction wegen der Catechismus - Information.* Quibus rite inspectis atque expensis facile aequis bonisque satisfiet, si alicubi hoc institutum in quasdam reprehensiones incurre videatur. Certe huius studii pietatisque suae eximum cepit *Optimus Princeps* fructum. Nam ei omnes ciues suos, quotquot se Principe, nati atque his institutis imbuti erant, quum ex vita discederet, et ad vsum virtutis civilis et ad veram Dei agnitionem probe comparatos: et exteris haec exemplo esse, ad similes rationes invenandas, vidit. Quanquam enim ea aetate *Moscovitae* variis cum ceteris extra Sueciam Poloniamque gentibus Europaeis confilia communicarent: Tamen ERNESTI instituta non minus ecclesiastica, quam civilia atque oeconomica, missa legatione, diligentius inspicienda, duxerunt.

mada examine publico extirpanda , sanxit incredibili successu prosperata. Quinetiam sacras literas praestantium theologorum vigiliis sic curauit lingua vernacula explicandas , vt tota ecclesia illo opere per Germaniam magno cum rei christianaem emolumento yteretur, nec facile esset laetioris fortunae patremfamilias reperire , qui sibi ac suis hunc thesaurumⁿ non comparasset. Ne autem bene ordinata collaborerentur, instituto protosynedrio abunde cautum est , principis auctoritate sic instructo, parato, armato , vt totum ecclesiae corpus curare , et a ministerii ecclesiastici candidatis non studiorum solum , sed et vitae transactae conditionem reposcere , moderarique consistoria inferiora , et multa cuiusquemodi ad scholarum ex quibus publica salus pendet, vtilitatem in medium afferre posset, ne cui necesse sit, recte docendi , et officium faciendi aliunde suspensas habere rationes.

ANTE

ⁿ⁾ Biblia Vinariensis et Ernestina vocantur, de quibus nonnulla diximus libro III. Compendii Gothani historiae ecclesiasticae p. 126. Plura notarunt Pfefferkornius historia memorabilium Thuringiarum an. 1684. Germanice edita, p. 104. Tenzelius supplementis reliquis hist. Gothanae p. 897. et in colloquiis mensuris an. 1693. p. 815. venerandus doctissimusque vir, Elias Martinus Eyringius, in vita Ernesti Pii cap. XVId. nec non sacrarum et profanarum literarum peritia , innocentiaque morum praestansimus amicus noster, Erdmannus Rudolphus Fischerus, in vita Ioannis Gerhardi p. 434.

ANTE id tempus, quo ad patriae reipublicae gubernacula accedens ciuium suorum ignorantiae atque vitiis bellum publicum indixit fecitque moderatissimi animi princeps, confitendum est, copiarum ducem etiam militaria munera obiisse, quibus multum humani sanguinis funderetur, idque sub Gustavo Adolphio, Gothorum rege nunquam in praeliis aduersam experto fortunam, et in Saxonia inter victoriam occiso. Sed aegerrime ac tum demum ad arma sumenda adduci potuit, cum in turbis publicis, ac consequendae iustitiae desperatione, nullum aliud expedienda salutis medium posset excogitari, perindeque haberetur quiescere ac interire. Etsi autem imperans in aliorum castris fortuna in ERNESTINIS seruiret, aut certe obediret principis ad Deum precibus; tamen Pompeii vox truculenta, *armatus leges ut cogitem?* nunquam illi excidit, nec *prae armorum strepitu leges a se exaudiri posse* cum Mario negauit, quod patriae exitium miseratus christianis principibus non esse humano sanguine prodige vtendum opinaretur, armaque ferens semper in iustitiam ac pacem prospectaret, quam, Pragae factam, licet infestissimam familiae suae, prae-tulit speratis fratribus BERNHARDI victoriis, cum gladium ne semel quidem scelere imbuisset.

CER-



CERTE post Nordlingenensem Caesaris triumphum, in quo, ut Sueci tum sentiebant, *victrix causa superis placuit, sed victa Catoni*, simul bellandi animum et Franciam orientalem amisit, cuius regendae potestatem frater illi tradiderat BERNHARDVS, magnus ille Bernhardus, et commemorabili virtute praeditus, qui cum fortitudine superasset aetatem, ac Gallis timori fuisset, incidissetque in suspicionem regni, nescio cuius, appetendi; veneno, sicut nostis, necatus est. Tum in Thuringiam se recipiens ERNESTVS regionis auitae gubernationem sic auspicabatur, vt multo mallet populum exemplo, quam legibus regere, nec opes violentas, sed caritatem salutemque ciuium concupisse non immerito omnibus videretur. Sicut magnes efficacia sua in nauigiorum cursus, ita vita principis in ciuium vitam dominatur. Sicut obscurato sole omnia tenebricosa fiunt, ac frustra sunt de visu praeceptiones; sicut si grammaticum se professus quispiam barbare loquatur, aut si absurde canatis, qui se haberi velit Musicum, hoc turpior sit, quod in eo ipso peccat, cuius profitetur scientiam; sic princeps vel saluberrima edicens vitae suae maculis omnia contaminat, rectique ac honesti praeceptor vitiis affert, quam sibi H. aufert

aufert commendationem. Igitur rex sui, ERNESTVS, statim vt in Thuringiam rediit, latis a se legibus obtemperabat, ciues autem, quibus sui conueniendi potestatem omnibus faciebat,^o filiorum, ac beatae immortalitatis cohaeredum instar amabat, potentia nunquam intemperantius, ac ne in nocentes quidem acerbiore imperio temere vsurus. Cumque non ignoraret,,
multi-

o) Didicerat a Gustavo Adolphō, de quo consentientibus non modo bistoricis, sed etiam testimoniiis rerum ipsarum, scribit Berneggerus in laudatione funebris:
 Ab omni non fastu modo, sed et suspicione eius alienissimus: quem iis relinquendum putabat, quibus, nec iniuria, interdum inter arcana principatus habetur, ignorari subditis. Ipse quidem cum omnia, quibus vis imperii continet, haud negligenter stringeret, facile transfigebat cum iis, quae speciem non egrediuntur. Itaque curiose vesci, vestiri, loqui; et, ne Principem publicare videretur, vocis ac pedum usum amittere; aliaque fruola, quae, velut infantibus, usus maiorum tanquam nutritula circumdedit, non transcendere, seruitutem credebat, non imperium. Igitur domi forisque, etiam tenuissimos non fastidire, miscere colloquia, incorrupto regis honore: quem certe minus sollerter custodiunt, qui maiestatis imminutionem interpretantur, nisi priuati homines ad conspectum eorum, tanquam atrocis alicuius ferae, pallidi et examines diffugiant: vel faltem attoniti, ceu periculum adituri capitis, aut elephanto porrecturi stipem, accedant. At ille, tanquam callidus aucepis hoc comitatis visco omnium hominum amorem vinixerat: confectus praeterea rem quantouis pretio non caram, vt nemini, qui peritia qualiscunque rei praecellerer, paupertas aut nascendi infelicitas obesse, quo minus in conspectum famulitiumque regis penetraret: cuiusmodi hominibus aditus in aulas alioqui satis sollicite praecluditur.

multiplicia Germaniae principibus iura esse, quorum nonnulla ad iustum legitimumque imperium, alia ad gratiam faciendam, quaedam ad fisci vtilitates pertinenter; sic temperabat omnia, sic autoritate omnibus cupiebat prouisum, vt suum cuique tribueretur, nulli autem ciuium ordini alterum supplantare, nulli immunitatibus priuilegiisque nuper quaesitis suam onerum publicorum ratam portionem in plebecculam deuoluere, nulli fiscum aliena calamitate locupletare fas esset. Qua ex re, atque ex aulae Ernestinae sanctimonia, quantam voluptatem cepisset Gregorius Habessinus, vir, sapientum iudicio, ingenii ac virtutum claritudine praestans,^p non meis, sed magni excellentisque viri, Iobi Ludolfi, verbis^q recitabo, narrantis hoc modo peregrini hominis sententiam: *Apud nos, cum audiret atque videret: subiectos moderata libertate frui, Principem functioni suae intentum nihil per vim, nihil tumultuarie, sed cuncta maturo consilio, reque bene deliberata agere, collegia Consiliariorum suorum quotidie frequentare: facilem se accessu praebere: et literas suppli-*

p) *Dilherrus literis ad Ernestum an. 1652. scriptis: Der Fromme und in den Aethiopischen Kirchen- und Regiments-Sachen hoch-verständige Herr, Gregorius Abyssinus.*

q) *Commentario ad prooemium historiae Aethiopicae p. 33.*

supplices e manu porrigitum accipere, nec eas reponere, sed expeditionis curam habere; beatos praedicabat populos, qui hoc pacto regerentur. Vbi ad aulam animum aduerteret, et cuncta procul a fastu et luxu ordinate peragi cerneret, Principem ipsum cultus diuini et precum horas tanquam canonicas strictissime obseruare: Liberos in pietate, bonisque artibus solicite educari: mane et vesperi familiam ad preces conuocari: prandium et coenam statim horis inchoari et finiri: disciplinam bonisque mores, quasi in asceterio quodam coli, lusum atque lasciviam abesse; solitum suum STUPENDVM! exclamabat, ac VIX ITSHEGV M SVVM (summum monachorum Antistitem) SANCTIVS VIVERE POSSE dicebat: Nec minus suspiciebat Principis in restauranda urbe, et aedificanda noua arce, alisque rebus priuatis curandis sedulitatem. Is enim solebat ubique praefecto esse, parare omnia, pauca solis ministris agenda relinquere, ac in futurum posteritati propicere.

QVAMVIS autem placide leniterque imperaret ERNESTVS, imperabat tamen inaudita grauitate, eoque in summa parsimonia sui cultu, ut subiectos sibi Thuringiae comites non fineret illis fese officiis aulicis subducere, quaecunque demum viri nobiles pranso aut coenato principi nunc praestare solent, rogatusque de controuerfiis illustrium familiarum honorarius arbiter tanto frequentius delatas ad se causas iudicaret,

quo

v) Incendio magnam partem perierat an. 1646. vid. Tenzelii supplementa p. 905.

quo studiosius adhortatus est suos, ne aduersus agnatos in supremis Germanici regni tribunalibus item instruerent; sed arbitriis, quae latine inflexa voce Germanica austregas dicimus, dissidia sua ex aequo bonoque permitterent componenda. Reliquam ERNESTI prudentiam aestimabitis, AVDITORES, ex eius praecipue dictis, quae multa feruntur, siue aliunde sumta, siue ab ipsomet excogitata, haec autem inprimis:

Princeps non est aptus regendis hominibus, qui Deo non est subditus.

Princeps neminem metuens metuat oculum omnia videntis Dei.

Dei timor custos ac thesaurus principis, quo remoto ab affinitatibus, diuitiis, caeremoniis aulae, atque foederibus tantum praesidii habebit, quantum ab atomis suis impetravit vim fati extimescens Epicurus.

Principi in coelum adscensuro viae impedimenta, ipsumque coelum quotidie meditanda sunt: difficile enim est, in summa fortuna summum bonum consequi.

Princeps otiosus Deo exosus.

Princeps Deo confisus nunquam confusus.

Princeps non minus hominem se esse, quam hominibus praeesse meminerit.

Pessimi principis consiliarii: iracundia, odium vetus, calunnia et insolentia peregrina.

Princeps non virtute ac meritis, sed fauore, aut odio, praeiudicatisque seculi opinionibus ministros suos metiens, talpa est.

Princeps inopiam si tollere vult, mater eius est tollenda, luxuries. Non

CONSECRATIO

redituum affluentia, sed moderata pecuniarum erogatio affert diutias.

*Tertiam acceptorum partem fiscus ad tempora dubia reseruet, agri patrii fructibus, aut vectigalibus domesticis nunquam emturus inani-
tatum transmarinarum dulcedinem.*

*Princeps, ut mortales reliqui, animam gerit duabus instructam partibus,
ratione, veritati atque honestati dedita, et deinde appetitu, in
pessima quaeque prono, quanquam animus alius in alia vitia pro-
pensionis sit. Una igitur cauendi adulatorum insidias ratio est, me-
minisse, amicum semper priori ac meliori parti se accommodare;
adulatorem posteriori, addictaeque cupiditatibus velificari, pernicio-
sius nocitum, si non ioco agat, aut comicus sit, sed personam gerat
tragicis histrionis.*

Princeps, qui delatores non castigat, irritat.

*Bono principi non id aequius, quod validius, sed id validius, quod
aequius.*

*Principis credendi facilitas, cuius aures nibil accipiunt, nisi iucundum
et laefurum, desinit in illud Diocletiani: Bonus, catus, optimus
venditur imperator.*

*QVIS iam miretur, AVDITORES, sic sentientis,
et ad hanc normam imperantis principis aeraria locu-
pletata, instituta probata, consilia denique omnia
prosperata fuisse, atque in eam desississe auctoritatem
virtutumque famam, vti magnus Moscouiae Tzaarus,
Alexius Michailowicz, anno clc lcc lxxiv. legatum*

Gotham



Gotham mitteret ERNESTINAE felicitatis causas, rationemque tractandae reipublicae inuestigaturum; ceteri autem ciuitatum rectores ERNESTI imperium omnes quidem laudarent, pauci imitarentur, siue Christi praeceptis accommodatus habitum desperarunt adamatis sibi seculi moribus sociari posse, siue laborum taedio visum est inimitabile. Quid, inquam, iustius, quid exploratius, quid facilius creditu, quam omnia salubriter euenisce principi sine superstitione ac pompa pio, sine fordinibus frugali, sine scrupulositate induistro, in quo animaduerteres praeterea ministrorum legendorum, et suae cuiusque indoli accommodatis laboribus praeficiendorum excellentem quandam ac ferme diuinam solertiam, eos, qui reipublicae ornamenta essent, ornantem egregie, probra autem atque abdomini nata humanae societatis dedecora constantissime aspernantem. Habuit autem ministrorum omnis generis tres ordines: in extrema iuuentute viuentium, qui discerent, virorum, qui laborarent, et senum, qui consilium darent, atque labores reliquorum gubernarent; nec in ampliorem gradum illustrissimus hic mentium formator promovit quenquam, qui tirocinii rudimenta improspere
depo-

depositisset, aut per saltum in rerum arduarum administrationem ac senatoria consilia ipse se voluisset immittere. Quaecunque enim natalium, quaecunque educationis ingeniique adiutoria iuuentuti tribuantur; tamen prudentiae ciuilis vsum ne regum quidem filios cum nutricis lacte vnuquam fuxisse, innumerebiles iuuenilium consiliorum exitus declararunt, cum publicae rei, tum multo etiam magis ipsis exitiales autoribus. Quamobrem ERNESTVM certum est virtutes in omnibus laudasse, in senibus autem dilexisse in primis, irascentem Catoni maiori ob saevitiam inferuos decrepitos, probantem autem magnopere Plutarchi de hac re sententiam, ex Hieronymi Boneri versione Germanica sibi persaepe paelectam. Id

retu-

ss) Boneri vitae Plutarchi prodierunt Colmariae an. 1541. ea dialecto, quae illiteratis hodie vix sit ad palatum futura. Igitur paullo dilucidius exprimemus f. 218. obvia: Catonis Fuernehmen ist viel zu rauh und herb gewesen, daß er die Knechte, die an seinem Dienst mit Alter beladen worden, gleich wie die unvernünftige Thiere, zu verkaussen, oder sonst auszuschlagen gewohnt war. Es geziemt einem frommen Mann, daß er auch denen Pferden und Hunden, so ihre Kraft durch Arbeit geschwächt, ihre Nahrung reiche. Es ist gar unsößlich, daß wir die, so uns lieben und dienen, gleich den Schuhen, oder andern Geschirren, so die zerbrechen, hinwerffen sollten.

retulerunt nobis, quorum ministerio diu usus fuit,,
viri fide dignissimi, affirmantes insuper, ac multis
testimoniis confirmantes, neminem, nisi in atroci cri-
mine deprehensum, ab officio deiecerisse, deiectos au-
tem alibi, et in angustias immeritas adductos in digni-
tatem amissa haud minorem saepenumero curasse resti-
tuendos.

SED ad alteram positi epitaphii causam progredior,
quam fuisse diximus prouidentiam PRINCIPIS nostri
publico hoc monumento posteritati suae pii iustique
imperii formulam praescribentis, ad quam patriae
patris nomen gesturi sua omnia dirigerent. Nimi-
rum difficilem regnandi artem, cui exemplo in hac ta-
bula descripto, facilius, quam praceptorum multitu-
dine intelligi posse ratus, toti familiae communem
velut praceptorum hodie nuncupat atque praeficit
ERNESTVM. Id autem non tui commonendi aut in-
flammandi causa factum est, FRIDERICE HAERES,
quem omnes nouimus mori, quam foedari malle, at-
que inde a puero sic imbibisse ERNESTINAE indolis
succum, ut ab hac virtutis via, aut potius ab hoc glo-

K

riac

riæ cursu deflectere mortis instar sis putaturus ; sed principes alloquitur PATER tuus, PATER noster, PATER patriæ, qui post te auitam rempublicam longa-
série capeſſent ; quodque prudentis eſt, praeſenſione prope diuina in futurum proſpiciens, abſentes illos, tanquam praeſentes eſſent , ad hoc religioſum moni-
mentum vocat, perque ſalutem publicam obteſtatur, ut primum quidem Deum, tum vero ERNESTVM
pium ſemper ſecum eſſe, et rebus ſuis omnibus inter-
eſſe arbitrentur. Auditote igitur, principes olim-
naſciturī, ERNESTVM, hominemque ex omnibus
vnum , quo praeſente vir prudens impius aut ineptus
eſſe minime vellet, vitae veſtræ teſtem ac ſpectatorem
hodie commendari vobis diuinitus exiſtimatote.

SI qui veſtrum ad deſerenda puriora ſacra olim
proritabuntur, conſtituitote vobis ante oculos ER-
NESTVM, qui ex arce ſua Fridenſtein, euangelicam
reliigionem fide heroica profeffus, in coelum profectus
eſt, atque ex hac tabula ſucclamat in vero Dei cultu
titubantibus: *Haec vos admittere indigna genere noſtro!* Si quis
veſtrum

vestrum allectabitur ad impietatem, ad voluptates, ad luxum, ad crudelitatem, ad calumnias audiendas, ad pauperes opprimendos, ad vectigalia praeter aequum et bonum augenda; statim occurset animo ERNESTVS PIVS, quem vobis omni assueratione affirmamus, Cyri^t sententiam plus millies laudasse: *imperio dignum non esse quenquam, qui non sit subditis melior.* Hunc domus Gothanae auctorem, cuius laus omnis atque felicitas orta a pietate ad remotissimas gentes permanauit, hunc genitorem vestrum animis ac memoria tenetote ex hac tabula minitantem: *haec vos admittere indigna genere nostro!*

SIC enim is, cuius regiae stirpi aeternam felicitatem omnes compreciamur, non sanguine magis, quam viuendi imitatione ERNESTI nepos, sic edicit, sic praecipit, sic vaticinatur FRIDERICVS INTEGER, epitaphii huius atque signi ERNESTINI magnificentissimus instructor: ita quemque vestrum, o nascituri principes! ita quemque vestrum Deo gratum fortunatumque fore, hunc Christi cultorem, hunc restitu-

^Q Apud Plutarchum de regum scite dictis, to. II. opp. p. m. 172.

restitutorem pietatis, hunc disciplinae publicae assertorem, hunc populi conseruatorem, hunc ultorem scelerum, hoc ornamentum christiani orbis, hoc misericordiae perfugium, hoc solatium annonae, hunc pauperum patrem, hunc miserorum consolatorem, hoc tranquillitatis propugnaculum, hunc
MAGISTRVM PROBITATIS vt quisque
fibi maxime proposuerit
ad imitandum.



STA-

**STATVAE HONORARIAE
INSCRIPTIO.**

D. O. M. S.

CVI ob religionis euangelicae tuitionem, pietatisque studium tota Europa praedicatum, ac disciplinae ecclesiasticae, quae rei christiana scipio est, instauracionem prosperam, Pii cognomen grata posteritas tribuit, Germana virtute Princeps, ERNESTVS, Saxoniae Dux, Ioannis Friderici Electoris, puriora sacra, etiam in captiuitate, et comminationibus potentissimorum Principum confessi, pronepos, iuxta cum sanctissima coniuge, Elisabetha Sophia, Altenburgica, in hoc choro expectat resurrectionem. Praestantissimus hic recti moris vindex sub Gustauo Adolpho, Suecorum Rege, magis quia patriae auxilium negare nequiverat, quam quod armorum amans esset, decies praelatus Papenhemii imperum ad Luzenam comprescit, fratrisque Bernhardi vice Franconiam orientalem ea animi moderatione rexit, ut Episcopus in pristinam dignitatem restitutus fateretur, in publica priuataque resancte et frugaliter dispensanda se ab ERNESTO superatum. Pacata Germania auitae regioni, fame, milite ac peste miserabiliter deuastatae, Bibliorum sacrorum in domos, catechismi in templa, literarum in scholas, iustitiae in curias inductione, paucis annis foecunditatem, opulentiam, vitae cultum honestatemque dedit, in oeconomia, in arte rectoria, in pietate, in omni virtute Princeps, egestate teque

teque ac calamitatum publicarum vsu ditescendi rationem perdoctus
 Fridensteini conditor, ciuium fuorum peraeque pater, pensitator
 meritorum, remunerator laboris, eruditorum hominum inlustrator
 magnificus, naturae et sacrae scripturae indefatigabilis scrutator.
 Toto imperio sic floruit consilii auctoritate, vt controuersiarum in-
 ter Principes maximos arbiter nominaretur a Caesare, eligeretur a
 disceptantibus, idemque sonaret per Germaniam, sapienter imperare,
 et ERNESTVM Gothanum imperando imitari. Obiit aetatis
 anno LXXV. orbis redemi cl^o I^c LXXV. in arce Fridenstein, tota vita
 expertus, quod iam in beata immortalitate cumulatius experitur,
 pietatem ad omnia vtilem esse.

Aui optimi pios cineres veneratus H. M. P.

FRIDERICVS II.

Dux Saxoniae Gothanus.

A. O. R. cl^o I^c cc xxix.

Lamina sepulcro imposta:

ERNESTVS PIVS et coniux, ELISABETHA

SOPHIA,

Duces Saxoniae,

hic expectant resurrectionem.

NENIA



NENIA PANEGYRICA
IN CONSECRATIONE
ERNESTI PII
CEREMONIA LVGVBI DECANATA.

CARMEN AD RECENTIORVM NORMAM
COMPOSIVIT
CHRISTIANVS SIGISMUNDVS LIEBE,
SERENISS. DVCI GOTHANO AB EPISTOLIS
ET ANTIQVITATIBVS,
MODIS ANIMAVIT MVSICIS
GOTTFRIDVS HENRICVS STOELZEL,
REI MVSICAE IN AVLA GOTHANA
MODERATOR.

Iam pridem quae mortalitatis
Prostrata lege recubatis,
Diuini ossa PRINCIPIS,
Nolite munus aspernari
Ferae, Vobis quod parari
Vt cunque persentificitis;
Iam pridem quae mortalitatis
Prostrata lege recubatis,
Diuini ossa PRINCIPIS.

Acceptum id, si percontamini,
NEPOTIS laudibus verissimis,
Qua patet, cultiori orbi celebrati
Refertis FRIDERICI pietati,

Qua

*Qua summa ille veneratur
 Exuuias Progenitoris Optimis;
 Quem ita aemulatur,
 Ut parta terris his,
 ERNESTI quondam studio;
 Felicitas haudquaque minuatur.
 Is non contentus, animo
 Mnemosynon struxisse
 Auitis manibus,
 Quod aere sit perennius,
 Hic nouum illis monumentum posuit,
 Quo aetas postera cum viderit,
 Quam pulchre iunctim celebretur
 Et AVI et NEPOTIS pietas,
 Has laudum geminas adores
 Perpetuo miretur.*

*Non lapidum structuram iuuerit,
 Non artis lineas spectasse,
 Sed, cui hoc opus destinatur,
 Aeterna laude PRINCIPEM,
 Et, a quo ei dedicatur,
 Ex asse illi similem,
 Ut uno stipe manasse
 Vtrumque, vel hinc in confessu sit:
 Non lapidum structuram iuuerit,
 Non artis lineas spectasse.*

*Sed FRIDERICIANA decora,
 In multas exitura paginas,
 Ad astra feret rectius posteritas.
 Nos trahit ERNESTINA gloria,
 Quam, quae iamdudum sustulerunt
 Tam sanctum PRINCIPEM,
 Non ita obscurare fata potuerunt
 Post tot annorum seriem,*

Vt,

*Vt, procedente tempore,
Vberiori lumine
Non indies splendescat,
Ac vel eundo crescat.*

Id in terris praemii,
Qui subiectis populis
Gnauiter consulitis,
Certo consequimini,
Quam in viuis comparatis
Testimonio proborum,
Rapti tandem vi fatorum
Laudem auctam reportatis;
Id in terris praemii,
Qui subiectis populis
Gnauiter consulitis,
Certo consequimini.

*Hinc pietatis vis,
ERNESTE, Phoenix huius temporis,
Qua omnium pulcherrimum
Cognomen TIBI peperisti,
Et qua sollicite cauisti,
Improbitas ne domicilium
In terris TVIS reperiret,
Hinc imperterriti
Celsique robur animi,
Qui vi metuue concuti nequiret,
Hinc cura populos
Quam prudentissime regendi,
Et quoad posset fieri per improbos,
Feliciores indies reddendi,
Hinc tenax recti studium,
Hinc fuga luxus, cura pauperum,
Hinc candor et integritas,
Hinc amor litterarum,*

M

Hinc

CONSECRATIO

*Hinc denique virtutum reliquarum,
Quam toto pectore receperas,
Corona tantis passim laudibus ornatur,
Ut in exemplum proponatur.*

Terris quid felicius,
Quae nascendi ius

Tanto PRINCIPI dederunt.

Cui tot retro secula,
Si repetas memoria,

Parem vix tulerunt.

Terris quid felicius,
Quae nascendi ius

Tanto PRINCIPI dederunt.

*Haec vox est omnium perpetua,
Cui lingua possit inuida
Ne liuor quidem refragari;
Haec terras omnes personat,
Quo fama peruvolat
Virtutis et honesti,
In quibus laudes SAXONIS ERNESTI
Pro laudibus
Virtutis constat reputari.
Ab dolor! non diutius
Hoc sidus terris praeluxisse,
Suosque blandis radiis fouisse.*

In Principes cur tantum licet fatis,
Diuinae splendor maiestatis

Quos DEO reddit proximos?
Nam huius nunquam terminatur,
Illorum vita coartatur

Exiguos in terminos.
In Principes cur tantum licet fatis,
Diuinae splendor maiestatis

Quos DEO reddit proximos?

Sed

Sed nefas fuerit et improbum,
 Sanctissimorum ossium
 Quietem conturbare
 Nil profuturo queſtu et ſuspiriis.
 Sit ſatis, tanti PRINCIPIS
 Poſteritatē perennare,
 Et in ſuprema orbis huius tempora
 Rectores terris hinc polliceri,
 Qui certo certius virtutum gloria
 ERNESTI poſſint ſurculi cenſeri.

Fructus verae pietatis
 Durat et in posteris
 Caſto ſanguine prognatiſ:
 Dum maiorum inhaerescunt
 Sedulo veſtigiis,
 Similes palmetis crescunt
 Ad fluenta conſitit.
 Fructus verae pietatis
 Durat et in posteris
 Caſto ſanguine prognatiſ.

* † *

Sic porro requieſcite,
 Exuiae cariſſimae,
 Feſſisque artibus, qui eos ſubiit,
 Soporem indulgete,
 Sit leuis terra, quae
 Suauiſſima quiete
 Reliquias tam veneſandas reficit.
 Florefcat tumulus,
 Qui ſuis claudit finib⁹
 Deponit, quo nullum ſanctius,
 Florefcat lili⁹ & roſis,
 Gratifimo odore,
 Vernantis horti more,
 Perpetuo fragrantibus.
 Faceſſat Boreas,
 Faceſſat hiemis asperitas,
 Hic tantum Zephyri vis blanda ſpiret,
 Hic ſoles eant candidi,
 Hic cuncta iuuenefcant,
 Nouaque facie ſplendefcant,

Nam ſic & noſtro PRINCIPI
 Spes vita melioris viret.
 Faceſſat Boreas,
 Faceſſat hiemis asperitas,
 Hic tantum Zephyri vis blanda ſpiret.

Maternum terrae gremium,
 Quo omnia,
 Quae inde producuntur,
 Vi flumina
 In mare, reuertuntur,
 Non ſemper oſſa haec feruabit,
 Non ius perpetuum in illa vindicabit
 Vel caries vel morbius vernium:
 Sed parua intercedet mora,
 Cum illeſſet hora,
 Qua tumulus
 Creator reſerabit,
 Et illa rurſus animabit,

Cor-

*Corpusque nouo gloriae
Coelstis circumfusum lumine
Cum anima coniunget exultante,
Hospitiumque splendidum mirante.*

Tum demum triumphabit
Recepta coelo gens fidelium,
Cum corpus humo conditum
Non terreum, vt est, recuperabit,
Sed lucidum, perenne, coelicum.
Tum demum triumphabit
Recepta coelo gens fidelium.

*Tu vero iam corporeis
ERNESTE, liber vinculis,
Coelstes inter coetus,
Divino plenus Nume,
Felicitate TVA laetus
In omne accuum fruere.*

Plaude, iubila,
Carpe gaudia,
Quibus aether affluit,
Pura mens quem incolit.
Pende Numiniis ab ore,
Et a TVO Seruatore
Parta bona reputa.
Plaude, iubila,
Carpe gaudia,
Quibus aether affluit,
Pura mens quem incolit.

*Nos, quos diuinum fatum
Terreno domicilio
Misericarum & calamitatum,
Quae vndeique irruunt,
Et nos ad incitas persaepe redigunt,
Plenissimo
Adhuc affixos tenet,*

*Nos TIBI TVA gaudia
Gratamur, ac gaudemus,
Dum pariter, hac vita posita,
Coelstem Tecum inchoemus.*


Hora, quid cunctaris?
Rue, cur moraris
Nostra desideria?
Longius dum detinatur,
Anni, lufra, secula
Mihi temporis videntur
Puncta vel breuissima.
Hora, quid cunctaris?
Rue, cur moraris
Nostra desideria?

*Nec tamen ausu improbo
Hoc votum legem flatuit
Supremo rerum arbitrio,
Qui vitac huic tempora
Pro sua sapientia
Mortalium cuicunque diuidit.
Durabimus, & laeti perseremus,
Incommodorum quicquid sustinemus,
ERNESTI dum progenies
His terris iura dabit,
Nostrasque, vt hucusque, spes
In tuto collocabit.*

Augusta vige soboles,
Et posterorum series
Non desituras pollicere;
Inprimis FRIDERICE flore,
Cum MAGDALENA Coniuge,
Et porro nos ERNESTI more,
Hoc est, quam felicissime,
Guberna, foue ac tuere:
Augusta vige soboles,
Et posterorum series
Non desituras pollicere!



NUMI EMORTUALES ERNESTI PI D. S. G.



Montal sc Lpz.



Wd 879

40


M.D.

CONSECRATIO
ERNESTI
PII
SAXONIAE DVCIS
A
CELSISSIMO PRINCIPE AC DOMINO
DOMINO
FRIDERICO II.
GOTHANO SAXONVM DVCE

A. O. R. c. 1500 CCC XXIX DIE XXVI MARTII
PIA CAEREMONIA ET HONORARIAE
STATVAE EXSTRVCTIONE
CELEBRITATE QVE SERMONIS PANEGYTRICI
GOTHAE IN D. MARGARETHAE
TEMPLO PERACTA

INTERPRETE
ERNESTO SALOMONE
CYPRIANO
THEOL. D. CONSILIARIO CONSIST.
ET ECCLESIASTICO.

GOTHAE
EXCVDIT IO. ANDR. REYHERVS, AVLIC. TYPOGR.



(1, 892)